

De musices in homines et animalia efficacia : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Jacobus Julius Loewenstein.

Contributors

Loewenstein, Jakob Julius.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Friedlaenderianis, 1835.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qhpszvbb8>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

**DE MUSICES
IN HOMINES ET ANIMALIA
EFFICACIA.**

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JACOBUS JULIUS LOEWENSTEIN

LESNENSIS.

OPPONENTIBUS:

AD. LOEWENSTEIN, MED. ET CHIR. DR.

I. BRUNN, MED. ET CHIR. CAND.

AUG. LOEWENSTEIN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

Musica capitur omne, quod vivit.

Macrobius.

P A T R I O P T I M O

DILECTISSIMO

PART OF

DICTIONARY **NEC NON**

V I R O

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

AVUNCULO CARISSIMO

AMICISSIMO

J. S. LOEWENSTEIN,

**DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE, MEDICO PRA-
CTICO APUD FRANCOFURTENSES AD VIADRUM
FELICISSIMO,**

V I R O
H A S C E

L I T E R A R U M P R I M I T I A S

P I O G R A T O Q U E A N I M O

D. D. D.

A U C T O R.

In variis illis artibus, quae a solertibus ingeniis excogitatae sunt, vix ulla humanitati magis propria est, quam musica. Haec illa disciplina est, quae singulari providentiae dono humano generi data, omnem aetatem, ordinem omnem et sexum, omnium gentium homines, barbaros aequae ac moratiores oblectat ac retinet, nec varia modo voluptate ac jucunditate perfundit, sed et animum blande apteque regit, mores temperat, immo nos omnes quocumque vult ducit. Vix prodierunt in lucem infantes, rudes plane et imperiti, quum musico sono cantibusque placantur, quibus ad pueritiam traducti ludos inter et aequalium recreationes magis gaudent, juvenesque deinde ac viri aequae capiuntur, denique defecti annis et viribus, quum alia voluptas abiit, recreantur et confirmantur mirifice. Et quae tam effera atque immanis mens est, quae non aliquando ad musicos modos requiescat curasque laxet? Saxa et solitudines, inquit Cicero, voci respondent, bestiae quoque immanes cantu flectuntur ac consistunt.

Nec alia ratione silvas, montes, saxa traxisse et commovisse musicorum peritissimi dicuntur, quam quod incultos trucesque homines ad meliorem vitae cultum suavi harmonia sapientes traduxerint, efferosque illorum mores musices dulcedine emendaverint. Itaque necessariam vitaeque humanae utilissimam artem esse musicam, quae in vita civili atque ad percipiendas egregias artes conferat plurimum, prudentibus persuasum fuit. Musicam tamen ut in animos, sic et in corpora maximam vim exercere, maxime constat. De qua vi musices fusius nunc disserere mihi liceat.

Omnes in anima nostra rebus externis progenitae impressiones sensuum externorum auxilio efficiuntur. Quibus vero impressionibus dum anima movetur, ideas ipsa sibi fingit, ex ideis mox oriuntur cogitationes, considerationes, harumque associatione nimis cupida affectus et perturbationes.

Inter sensus autem, qui nemini certe non innotescunt, visus et auditus animae sunt proximi, ideoque nobiliores sensus nominantur, quod eorum structura artificiosior est, fines non tam circumscriptos videmus, ipsi magis accurate et perspicue res externas accipiunt animaeque communicant, imprimis vero, quod hanc in multas ideas et cogitationes ducunt et φαντασία per hos sensus acceptas imagines vividissime ac facillime repraesentat. Omnium autem exquisitissimus est sensus auditus, ipso visu praestantior, animoque prior,

quum colorum minus apta compositio non tam in nobis producat sensum injucundum, quam illa in musica dissonantia sic dicta. Est auditus administer intellectus, particeps consiliorum, per ipsum utilis est loquela, qua nil utilius in communi generis humani societate.

Auditu sonus tremulo corporum elasticorum motu excitatus et per aërem spatio minuti secundi horae 968 pedes Anglicos absolvendo secundum *Boerhaave* et 1142 secundum *Derham*, successive propagatus percipitur et impressio animae communicatur. Qua impressione animam prae ceteris corporis organis affici, affectusque hos summam in animi corporisque conditionem vim exercere, cuique certe clarum est. Priusquam vero de illis musices in animum corpusque humanum effectibus disseram, quam et in cetera animalia manifestet, actionem paucis praemittam.

In natura quorundam animalium congenitum est, a certis sonis abhorrere eosque audientia clamore aufergere. Sic elephas vocem porcinam, non vero leonis rugitum reformidat; dum leo, qui symphonia et tympanorum sono mulcetur, galli gallinacei cantu mire terretur. Delphinus voce Simonis mire afficitur, in cuius confirmationem *Plinius* narrat historiam de puero quodam, qui delphinum hoc nomine compellans, trans lacum lucrinum, dorso ejus insidens quotidie ab eo deferrebat.

Sed quum iam simplicium sonorum ejusmodi tantus in animalia sit effectus, multo majorem vim exercere musicam, sonorum illam vel compositorum vel simplicium artificiose productam harmoniam, quis est, qui non intelligat? Cui non mox in mentem vocatur illa de Orpheo, Thracio vate, fabula, quo magnam musices in totam naturam efficaciam exprimere voluerunt veteres? De quo Orpheo Horatius canit:

„Silvestres homines sacer, interpretisque deorum,
 „Caedibus et victo foedo deterruit Orpheus,
 „Dictus ab hoc lenire tigres rapidosque leones.“

Cameli tam sunt *φιλόμουσαι*, ut, si longo itinere defatigentur, non verberibus sint urgendi, sed cantilenis, quarum suavitate capti celeriter cursum conficiunt, sic, ut insequi nemo possit. Multa exstant exempla, ope musicae capi posse animalia. Sic elephantes fistulae sono audito trahuntur, irati voce hominis canentis mitigantur et cicurantur. Cervi tibiae sono a venatoribus allici, cervae ad sonum vocis jucundae melius audiendum humi procumbere itaque absque ulla vi capi traduntur. His adde elephantes saltandi artificium doctos, ita, ut ad pulsum chordarum ducerent choreas, mures et araneos artificem testudine canentem obsidentes, glires in funibus saltantes, apes pro fugas cymbalis revocatas et tranquillatas, ursos ferocissimos fistulae sono mitigatos, serpentes quoque saltationis motus capite et corpore aemulantes ad sonum

tibiae. Quorum omnium tamen exemplorum testes hic proferre non necesse mihi videtur. Sed animalium voluptas, uti et in nobis, pendet a certa et bona organorum conformatione, quae, si peccet in quodam, illico in dolorem inducitur. Sic narrat **Baglivius** in dissert. de tarantula: „Vidi canem, cui adeo exosus „erat citharae vel alterius instrumenti musici sonus, ut, „eo audito, in magnos ululatus et fere in luctum con- „jiceretur.“ Quod experimentum quotidie in canibus, praesertim quum tuba canimus, observari potest.

Sed ad id, quod erat propositum, redeat oratio. Musices rudimenta ab ipsis generis nostri incunabulis jam adfuisse extra dubitationem posita videntur. Postea tamen, quum homines in dies magis magisque excolere se coepissent perque totum terrarum orbem propagarentur, pro diversitate regionum et musica erat diversa. Quemadmodum nostris quoque temporibus observamus cuilibet genti peculiarem suam esse ad certas concentuum compositiones propensionem, ex quibus, si modo penitus rem consideramus, mores et ingeniorum culturam fere colligere possumus. Quis enim Turcarum aut alius gentis barbarae lamentabiles dissonantias, quibus illi tam mire delectantur, aequo animo ferre posset? Nonne aliae musices leges placent in Gallia, aliae in Italia, aliae in Anglia, aliae in Germania? Sane, qui rei musicae satis peritus est, quamcunque demum symphoniam audiverit, ad hujus vel illius

populi genium eam esse concinnatam sine haesitatione pronuntiabit. Quare pro varietate ingeniorum in diversis Graeciae provinciis varia erat musicae facies, moribus nativis populorum singulorum fere respondens. Unde originem duxisse modos musicos nemo paullo humanior ignorat, nempe Doricum, qui ad gravitatem honestatemque componeret, Jonicum, qui delicatiores mollioresque, Lydium, qui acerbiores gravioreque motus excitaret.

Quare igitur quemcunque, qui ad incredibilem, inter mentis ideas corporisque conformationes intercedentem consensum concentumque animum contulerit, varios corporis motus cum diversis animi agitationibus congruere, sine ullo negotio mox observaturum, nil est, quod dubitemus. Alium aerumnis discruciatum, alium successibus prosperis elatus vultum induit, ira indignatione qui efferbuit, oculis ardet spirituque infremit, luminibus cohorrescit obtorpescentibus; hiscitque vocibus raris terrore attonitus. Vocis humanae eadem est constitutio, quae pro commotionum perceptionumque, quibus mens agitur, varietate in formas figurasque innumeras informatur. Alia est admirantium, alia indignantium vox; aliter, si laetamur, aliter, si dolemus, sonos figuramus; alium adhortationibus, alium dissuasionibus habitum sermoni adaptamus. Enimvero cogitatione ad cantum et pronuntiationem graviter commotorum conversa affinitas et cognatio admirabilis depre-

honditur. Unde etiam generis humani principes conditores alium sedatae, alium concitatae menti sermonis habitum convenire natura magistra perdiscebant.

Quum vero cujusvis animi effectus et in audientibus vel eosdem, ex quibus ortae sunt, vel eos, quos musices artifex ex illarum compositione enasci voluit, sensus excitare valeant voces, non inepte mihi videtur, hic primum de iis, quos in mentem sanam corpusque bona valetudine gaudens musica procreat, effectibus, tum de ipsius musices in animi vel corporis morbos efficacia medicatrice disserere.

Verissima sane nullique dubitationi subjecta mihi videtur viri cujusdam rerum Hebraicarum scriptoris—cujus nomen nunc me fugit — sententia, dicentis:

הכמת המוסיקא מעתקת את הנפש ממדה
אל ההפכה. i. e. flectit musica animum a qualitate

una ad contrariam. Nihil enim est, quod, praeter musicam, tantum habeat momenti ad animum ad diversas et contrarias qualitates flectendum, nisi illius abusu vel fatigati simus, vel nimis aucta sensibilitate aut propria in musicam idiosyncrasia laboremus, vel musicae strepitus sit molestus aures offensans. Nam sensus ita a musica afficitur, ut, quum sit musicae praesertim inditum, animam incautam blanda voluptate irretire, hominisque pigritiae nativae delectando favere, ideas ante praesentes in animo deleat, earum loco alias pro arbitrio praestantis musici substituat, anima non advertente,

invita etiam aliquando, quod non illepide exprimit praeteriti seculi auctor, René François in libro suo, qui „essai des merveilles de la nature“ inscribitur, cujus verba haec sunt: „Quelle étrange puissance, de savoir „si doucement enchanter nos esprits, que sans dire „mot, elle persuade et nous entraîne distillant, et coulant par l'oreille ses charmes qui derobent l'ame même „et l'arrachent par les oreilles, sans qu'elle se mette „en devoir de se defendre, pendant qu'elle fait haranguer une chorde d'un luth et commande qu'un bois creusé degoise mille chansons.“ Non possum, quin et alium ejusdem libri proferam locum, huc pertinentem: „Si un brave joueur veut faire mourir les „chordes sous ses doigts il transporte tous ses gens, „si, que l'un laissant tomber son menton sur sa poitrine, l'autre sur sa main, qui lachement s'etend tout „de son long comme tiré par l'oreille, l'autre à yeux „tous ouverts ou à bouche entrouverte, comme s'il „avoit cloué son esprit sur les cordes, vous diriez, „que tous sont privés de sentiment, hormis l'ouie comme „si l'ame, ayant abandonné tous les sens, se fut retirée au bord des oreilles.“

Ex tanta autem musices in animum efficacia satis elucebit, et mores juniorum imprimis formari, conatos mutari, depravatos corrigi ope harmoniae musicae posse. Quae animos juvenum erudiendi et ad mansuetudinem componendi ratio apud veteres magno in

pretio habita est. Testis est **Dio Chrysostomus**, orat. 32. ad Alexandrinos, qui, musicam inventam esse, ait, *θεραπείας ἔνεκα τῶν ἀνθρώπων, καὶ μάλιστα δὴ μεταστρέφειν ψυχὰς ἀπηνῶς καὶ ἀγρίως διακειμένας.* Sic Achillis ferocem animum demulcendum et humanitatis praeceptis imbuendum centauro Chironi, medico et musico egregio, tradidit provida mater, qui etiam, quum animadverteret, discipulum suum irae furores aegre compe- scere posse, musicam remedii loco adhibuit, et ita

- - - puerum cithara perfecit Achillem

Atque animos molli contudit arte feros. *)

Negandum certe haudquaquam videtur, gratum musicae effectum animum ab effectibus feris revocare, sensibus mollioribus paullatim accommodare, atque, quum ceteras quoque mentis facultates musica occupet easque incitet, bonis artibus admodum favere. Quare nonnulli observatione moniti, qua infantes, qui saepius musicam audiunt, maturius sapere constat, musicam in usum educationis infantum tardioris ingenii commendarunt. Quod omnino probandum est. Sed saepius etiam accidit, ut, animo et mente praemature excultis et sensibilitate usu musices immodico aucta, systema reproductionis et irritabilitatis non sine detrimento exsuperet. Quare igitur optimo jure monet Hufeland, ne

*) cf. **Ovid.** de arte amandi, lib. I.

infantes concentus et dramata melica nimis frequenter audiant. Neque minus, neglectis ceteris animi facultatibus, musicae abusus, praesertim ejus certae speciei sensus animi nimis excolit, emollit et languefacit.

Musicam quoque eam in hominem habere efficaciam, quam magnetismus animalis, facile contendere ausim. Musicae enim somnum excitandi haud modicam vim inesse, saepe in infantibus videre est, qui inter cunarum agitationes et nutricum cantus lentos et suaves eosque semper repetitos in somnum labuntur. Et eam, quam magnetismus animalis in homine profert, praesagiendi facultatem, *clairvoyance* dictam, veteres ope musices producebant. Sic *Elisaeus* propheta, a psalte coram se canente ad prophetandum excitatur, 2 Reg. 3, 15. והיה כנגן המנגן ותהי עליו יד יהוה Et Graeci hanc prophetandi facultatem musica procreari posse eo exprimere voluisse mihi videntur, quod Apollinem simul musices inventorem ac oraculorum principem haberent.

Multum etiam ad animorum recreationem facit musica. Quot et quantis animi imaginibus delectamur, symphoniam heroicam *Beethovni* vel creationem *Haydni* audientes. *Davidem* cithara sua tristitiae antidotum intendisse, vix ambigere licet ei, qui sacras literas inspexit. Sic cithara ab Hebraeis adhibebatur ad exhilarandos convivas. Dum Graeci harmonico so-

norum concentu inter epulas utebantur, sicuti passim apud *Homerum* legitur, cantores, heroum res gestas ad citharam canentes, conviviis interfuisse et tam frequenter laudari videmus

„Cantus et choreas, dulcis donaria coenae.“ *Odyss.* 2, 153.

Quod vero non animi causa et ad fovendas voluptates factum putandum est, sed potius, ut ea, quae a liberaliori computatione obvenire solent, incommoda averterent. Etiam Romanis et Persis inter coenandum non insueta erat musica.

Quantopere musculorum actio a musica erigatur et augeatur, sat videmus in puellis, quae spatium milliarium non sine magno labore emensae languent, saltando vero totam noctem bona valetudine transigunt. Neque minus milites musica animos inflammante labores et defatigationem facilius perferre observamus; quid? In China vel in aedificiis exstruendis operarii ad industriam musica erigi atque stimulari, quis est, qui compertum non habeat?

Quantum denique musica valeat ad opera poetica memoriae tradenda, quotidie in hominibus videmus, qui cantilenas semel vel bis auditas ipsi jam recitant, quarum solum textum magno tantum studio et diligentia summa adhibitis memoria retinerent. Quomodo enim fieri potuisset, ut antiquissimis temporibus, scribendi arte nondum inventa, *Homeri*, et postea etiam in

Scotia Ossiani carmina, posteritati traderentur, nisi ope melodiae facile populus ea sibi imprimere potuisset? Quam melodiam directorem gymnasii Lesnensis, in quo crudiebar, virum doctissimum Stoephasium, in explicanda Iliade saepius canentem audivi; eamque musices utilitatem nunc prolatam eo etiam expertus sum, quod centum fere versus Iliadis et amplius ediscere a directore jussus, hac melodia adhibita, sine ullo studio semel vel bis eos legens mihi imprimebam, commodum, quod alio modo non tam facile impetrassem.

Prima igitur dissertatiunculae parte exposita, ad alteram nunc, quae sit musicae in mentis corporisque morbos efficacia medicatrix, quaestionem absolvendam pervenimus.

Quum musica magna gaudeat vi in avertenda attentione, praesentibusque ideis pellendis, ipsa certe iis morbis, qui in ideis praesentibus positi erunt, et sic aerumnosis, aegritudine, taedio, melancholia affectis poterit esse remedium.

Antiquissimum curatorum animi morborum exemplum sacra nobis praebet scriptura, Sam. I. 16, 23, ubi Saulem mania laborantem a Davide cithara canente curatum legimus:

וַיְהִי בַהֲיֹות רוּחַ אֱלֹהִים אֶל שָׁאוּל וּלְקַח דָּוִד
 אֶת־הַכִּנּוֹר וַיַּנְּגַן בְּיָדוֹ וְרוּחַ לְשָׁאוּל וַטּוֹב לוֹ
 וַסִּרָה מֵעָלָיו רוּחַ הָרָעָה

Et si Saulem malus arripiebat spiritus, Davides tulit citharam et percussit manu sua, tunc Saul refocillatus melius se habuit, et recessit ab eo malus spiritus.

Refert Lorry, de melanch. lib. 2, exemplum melancholici musica curati: „Quum enim aegrotus, qui „frustra multis medicamentorum generibus usus erat, „ardenter tamen laudabile exoptaret remedium in gravissimo melancholiae paroxysmo, adhibuit medicus clausulam quandam musice concinnatam, quam simulac „audiret, in tantum cachinnum effusus est, ut de lecto „et quidem sanus exsiliret.“

Narrat etiam Bourdelot, histoire de la musique, c. 13., medicum fide et laude dignum ei affirmasse, se nobilem matronam ex amasii inconstantia insanientem, musica ad statum aegrotae scite delecta curavisse, introducendo in ejus cubiculum musicos, qui obducto velo laterent ab ejus oculis, ac tres quotidie concentus instituerent, quo per octodecim circiter dies continuato mente convaleuit. Empedocles Agrigentinus cantu revocavit et compescuit adolescentem furentem, qui gladio adoriebatur hospitem delatorem patris mortis damnati. Pythagoras animi perturbationes lyra sedabat, et Cliniam unum ex ejus asseclis id praesertim in usu habuisse cum successu, fert Aelian. lib. 14. c. 23.

Non possum, quin Cassiodori (varior. lib. 11.)
 quandam de musices in animum effectibus sententiam
 communicem, dicentis: „Musica tristitiam noxiam ju-
 „cundat, tumidos furores attenuat, cruentam saevitiam
 „efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque lan-
 „guorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem,
 „vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat
 „castitatem, sanat mentis taedium bonis cogitationibus
 „semper adversum, pernicioosa odia convertit ad auxi-
 „liatricem gratiam, et quod beatum genus curationis
 „est, per dulcissimas voluptates expellit animi pas-
 „siones.“

Quum tamen omnia fere mentis alienationum ge-
 nera ex animi perturbationibus, ira, terrore, superbia,
 ambitione, amore aliisque, vel ex una quadam idea
 animo maxime impressa oriantur, et in omnibus vesa-
 niae paroxysmis vel quidam animi affectus, vel quae-
 dam idea fixa vigeat, musica certe, quae animi pas-
 siones sedare et certis ideis alias substituere pot-
 est, ad morbos animi sedandos vel tamen singulos
 impetus impediendos vel jam ortos mox finiendos mul-
 tum conferet.

Musices in animum insanum effectibus hic expo-
 sitis, quid musices actio possit in corpus aegrotum per
 animam, nunc videndum.

Apud veteres scriptores permultae inveniuntur historiae morborum auxilio musices curatorum, et quidem tales, ex quibus colligere quis posset, fuisse istis temporibus peculiarem disciplinam, arti medicae adjunctam, qua praeciperetur, quomodo vi harmoniae musicae certae quaedam corporis et animi afflictiones mitigari, vel etiam penitus tolli possint. Unde veteres eidem Apollini non sine ratione tribuebant inventionem tam musices, quam medicinae; et sunt, qui affirmant, Apollinem certis quibusdam citharoedicis normis a se inventis vitam multis mortalibus produxisse. Illis etiam populis, qui artis musicae rudes erant, adeo tamen de ejus efficacia erat persuasum, ut, si qua morborum pernicie premebantur, implorarent auxilium peritissimorum medicorum peregre accitorum. Tali modo de Lacedaemoniis apud Athenaeum lib. 12. haec legimus: „Quoties itaque doctrinarum auxilio opeque, vel aegrotantes, vel delirantes, aut alioqui publica calamitate indigebant, accersebant homines peregrinos, ut medicos, aut vaticinia Apollinis. Accersiverant autem Terpandrum, Thaletem, Tyrtaeum, Cydoniatam Nymphaeum et Alcmanem, qui tibicen erat, omnes medicomusicos.“

Elisabetha, Angliae regina, quum in mortis lecto decumberet, potentiae musices memor, suos sibi musicos accersi jussit, ut imminentis mortis terrores dis-

cuteret, animusque melodia distentus mortis ictum non videret.

Musica quoque dolorum acerbitates mitigare valet, quod alias novas ideas vividiores, quae illam doloris quasi obscurent vel deleant, quo minus percipiatur, excitat et eodem tempore animae attentionem avertit. Lucianus et passim Galenus et Coelius Aurelianus prae aliis dolorum per musicam curatorum mentionem faciunt.

Huc etiam pertinere videtur, quod de ischiadicis Theophrastus meminit, qui nempe sanantur, si more Phrygio illis accinitur, qui modus efficaciter in mentem agit et attentionem potenter doloribus avertit.

In dysecoia et surdidate vel ex nervi acustici stupore, vel ex laxitate membranae tympani exorta, musices effectum mechanico in aurem optimo cum eventu uteris, quo vel nervi acustici sensibilitas sensim sensimque erigatur, vel laxum tympanum strepitu vehementiori tendatur, ejusque motu adaucto soni tremores facilius excipiantur et conducantur.

In asphyxia nervosa nonnulli jure in usum commendarunt musicam, quae non solum auris, sed etiam mentis functiones revocet.

Saltatione et musica tarantulismus ille exterminari fertur. Baglivius melodiam adeo reliquit, ad quam saltatio esset instituenda.

In febribus intermittentibus bono cum successu nonnulli musica usi sunt, quam ceteris remediis ante-febrilibus jure addendam esse equidem puto. Aeneas Sylvius memorat, Albertum Ernestium, Bavariae ducem, podagra laborantem, neglectis curis omnibus, sectatum musicam, assiduis cantibus et sonis acerrimos mitigasse dolores.

Non inutile igitur foret, si in nosocomiis et xenodochiis vel etiam privatim fieri posset, ut ad operationes chirurgicas magis dolorificas vel ad partus graviores, dolorum idea simplici modo musica, quae jucundiores alias substitueret, abigeretur.

Sic in epidemiis aliisque regionum calamitatibus saepe multo plures terrore tantum et tristitia intereunt quam morbo ipso. Ubi quanti auxilii sit musica manifestum est et ratiocinio et observatis. Saepe nullo modo existentem morbum accerset mens praeoccupata, aut in hisce etiam circumstantiis, unius puncti saepe intervallo distamus a morbo: aequilibrium in hac extremitate sustineret mens hilaris et a moerore aliena, sed saepissime nil habet mens, ut sibi satisfaciat aut exhilaretur; superest vero musica, quae sola menti

hanc voluptatem praebet eoque corporis sanitatem servat. Quocirca nihil mirum videri potest, musicam, cujus in regendis pathematibus et animis exhilarandis vim summam esse docuimus, in peste etiam non irrito prorsus conatu fuisse adhibitam, eaque multos ab imminente exitio vindicatos: nec amplius commentitiis annumerabitur fabulis, si apud *HOMERUM* legimus, *Graecos* in obsidione Trojae pestem musica abegisse.

Nonne etiam recentissima aetate, pestilentia illa, cholera morbus nominata, tam diro modo grassata, multasque regiones omnino fere depopulata, homines tum aliis illecebris, tum praeprimis musicis concentibus et saltationibus modicis ab horribili tot funerum adpectu et metu mortis se avertere, atque eo tutius communi huic contagio sese subtrahere potuissent?

Videtur etiam verisimillimum, *Thaletem* Cretensem *Lacedaemone* pestem musica non sanasse, sed ejus ope infectionis timore dissipato, illam praecavisse.

His prolatis magnam musices efficaciam esse, luculenter apparet. Maxime vero exoptandum est, ut medici frequentius divinum illud remedium adhibeant, quod nisi penitus morbos e corporibus exterminare, molestiora saltem symptomota abarcere, dolores mitigare valet, et amissam aegrotantibus reddere tranquillitatem. Multis adhuc observationibus indiget, quibus

illustretur fructuosissima haec medicinae pars, quae sicut nunc est, plane non respondere videtur, nimirum longiori experientia et indefesso studio aliquam ad perfectionem perducenda.

THESES DESEMPLENDAS

1. Nova medicinae et psychologiae
2. Arsenicum toxicum summum
3. Inter medicamina aetheris
4. Homines ab uno partu
5. Inter aetheris et contagium
6. In aetheris putredinis

THESES DEFENDENDAE.

1. *Nemo medicus nisi psychologus.*
2. *Arsenicum tonicum summum.*
3. *Inter medicamina nullum venenum.*
4. *Homines ab uno pari genitos esse nego.*
5. *Inter miasma et contagium differentia nulla.*
6. *In phthisi pulmonali clima italicum remedium haud ultimum.*



CURRICULUM VITAE.

Jacobus Loewenstein, veteri fidei addictus, natus sum Lesnae, anno MDCCCXI, patre optimo *Julio*, matre carissima *Johanna* e gente *Loewenstein*, quibus incolumibus gaudeo.

Primis literarum elementis domi imbutus, per septem annorum spatium, gymnasium Lesnense, cui tum illustrissimus *Joannes de Stoe-phasius* director praecerat, vir, quem ad cineres usque gratissima memoria colam, frequentavi, quod auspiciis *Celsissimi Curatoris Serenissimi Principis Antonii de Sulkowski*, sum-

mi literarum et artium Maecenatis, floret. Testimonio maturitatis exornatus, gymnasio relicto Berolinum me contuli, ubi a beat. *Hegel* t. t. Rectore universitatis numero civium academico-
rum, ab illustr. *Wagner* t. t. ordinis medici Decano medicinae studiosis adscriptus sum.

STATIV MUSEUM

Ex illo inde tempore hisce interfui lectionibus: Beat. *Heyne* de Botanice. Ill. *Mitscherlich* de chemia experimentalis. Ill. *Erman* de electricitate et magnetismo. Beat. *Hermbstaedt* de physice et de chemia pharmaceutica. Ill. *Schultz* de botanice. Ill. *Lichtenstein* de zoologia. Ill. *Rose* de mineralogia. Ill. *Steffens* de psychologia et de philosophia naturae. Beat. *Hegel* de logice, de philosophia naturae et religionis. Cel. *Kranichfeld* de anthropologia. Ill. *Boeckh* de literatura Graeca. Ill. *Gans* de historia aevi recentissimi inde ab a. 1789 usque ad a. 1800 et de philosophia historiae. Beat. *Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani, organorum sensuum et foetus, de entozois, de

physiologia, de anatomia comparata, et de arte cadavera rite dissecandi. Ill. *Mueller* de physiologia generationis. Ill. *Schlemm* de osteologia et de anatomia practica. Beat. *Becker* de pathologia et therapia generali. Ill. *Bartels* de pathologia et therapia speciali. Ill. *Horn* de pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis. Ill. *Hecker* de therapia speciali et de historia medicinae. Ill. *Link* de pharmacologia et toxicologia. Beat. *Sundelin* de materia medica. Cel. *Casper* de arte formulas medicas concinnandi. Ill. *Kluge* de akiurgia, de arte obstetricia, de fascias imponendi ratione, de fracturis et luxationibus. Ill. *Juengken* de akiurgia et de morbis oculi. Cel. *Graefe* de chirurgia.

Ad praxin medicam chirurgicam et obstetriciam me instituerunt viri praeclarissimi *Bartels*, *Busch*, *Dieffenbach*, de *Graefe*, *Juengken*, *Kluge*, *Osann*, *Rust*, *Truestedt* et *Wolff*, quibus omnibus meis praeceptoribus reverendissimis, summe de me meritis, maximas quas habeo gratias ex imo pectore ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso rite superatis, spero fere, ut dissertatione, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.



